Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



tibi uidetur. Licet censum clari cesari an non? Cognita autem iesus ne
quitia eorum ait. Quid me temptatis ypocrite? Ostendite michi
numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis iesus.
Cuius est ymago hec et super scriptio? Dicunt ei. Cesaris. Tunc ait
illis. Reddite ergo que sunt cesaris cesari et que sunt dei deo.

Fratres. Non cessamus pro uobis Dom. xxiiii. Ad Corinth.
orantes et postulantes ut impleamini agnitione uoluntatis dei
in omni sapientia et intellectu spirituali ut ambuletis digne deo per omnia
placentes in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia dei
in omni uirtute confortati secundum potentiam claritatis eius in omni pacien
cia et longanimitate cum gaudio gratias agentes deo patri qui dignos nos
fecit in parte sortis sanctorum lumine qui eripuit nos de potestate tene
brarum et transtulit in regnum filii dilectionis sue. In quo habemus redem
ptionem et remissionem peccatorum. S. Mathm.

In illo tempore. Loquente iesu ad turbas ecce princeps unus accessit et
adorauit eum dicens. Domine filia mea modo defuncta est sed ueni impone
manum super eam et uiuet. Et surgens iesus sequebatur eum et discipuli
eius. Et ecce mulier que sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis
accessit retro et tetigit fimbriam uestimenti eius. Dicebat enim intra se.
Si tetigero tantum uestimentum eius salua ero. At iesus conuersus et uidens
eam dixit. Confide filia fides tua te saluam fecit. Et salua facta est
mulier ex illa hora. Dom. xxv. Ieremie prophete.

Ecce dies ueniunt dicit dominus et suscitabo dauid germen iustum
et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iusticia
am in terra. In diebus illis saluabitur iuda et israel habitabit
confidenter. Et hoc est nomen quod uocabunt eum dominus iustus noster. Propter
hoc ecce dies ueniunt dicit dominus et non dicent ultra uiuit dominus qui edu
xit filios israel de terra egypti sed uiuit dominus qui eduxit et adduxit semen
domus israel de terra aquilonis et de cunctis terris ad quas eiecerat eos illuc.
Et habitabunt in terra sua. Dicit dominus omnipotens. S. Mathm.

In illo tempore. Cum subleuasset oculos iesus et uidisset quia multitudo